

Aškerc:

BRODNIK — PORTITOR

Inter saxa ruens Savus fremit ac violentas
Danubii gremiis undas advolvit aquosis.
Portitor ad ripam in cumba sedet oscillante
membraque fessa levans connititur arbore solus.

„Eia senex, age rumpe moram remoque prehensio
nos propere fluctus Savi traduc strepitanter!
Turcorum flavi tibi erunt ditissima merces,
si non vis, capitis poenam patiare, caveto!

Arvaeque iam silvaeque silent Christianaque castra
ultra amnem carpunt securum posta soporem:
nos speculatores, noctis caligine amicti,
indagare, ubinam lateat, missi sumus hostem.“

„Quo mihi vestrum aurum? Piscanti non opus aere!
Promptus iussa sequi traducam vos sine nummo.
Crinis enim canus quamvis mea tempora condat,
nocte hac nondum aveo caput ensi subdere vestro.“

Vix ea fatus erat, tonsa cum concita linter
exploratores rapidas aufert super undas.
Ille oculis trucibus lustrat vertiginem aquarum,
quae ludens alnos avidè trahit umidum in altum.

„Portitor egregius nobis tute, hercle, videris,
idem corde ferox, cui par non ullus habendus;
at certe nos dux, cum castris excipiemur,
laudibus ornabit largoque extollet honore.“

„Hic locus est!“ conclamat atrox remumque remittit
portitor, „hic vobis, hic et mi praemia digna!“
Dissonus haustorum clamor consumitur unda,
nec mora, quin redeant praerupta silentia noctis.

Ljubljana.

Prevedel: A. Sovrè.